

noris aut artis bonae famam quaerit. Sed in magna copia rerum, aliud alii natura iter ostendit.

III. Pulchrum est bene facere reipublicæ: etiam bene dicere haud absurdum est. Vel pace, vel bello clarum fieri licet; et qui fecere, et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. Ac mihi quidem, tametsi haudquaquam par gloria sequatur scriptorem, et auctorem rerum, tamen imprimis arduum videtur, res gestas scribere: primum, quod facta dictis exaequa sunt: dein, quia plerique, quae delicta reprehenderis, malevolentia et invidia dicta putant: ubi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit; supra ea, veluti ficta pro falsis dicit. Sed ego adolescentulus initio, sicuti plerique, studio ad rempublicam latus sum; ibique mihi multa adversa fuere. Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant. Quae tametsi animus adsperrabatur, insolens malarum artium: tamen inter tanta vitia imbecilla aetas, ambitione corrupta, tenebatur. Ac me, cum ab reliquis malis moribus dissentirem, nihilominus honoris cupido eadem, quae ceteros fama, atque invidia vexabat.

IV. Igitur, ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit, et mihi reliquam aetatem a republica procul habendum decrevi: non fuit consilum, socordia atque desidia bonum otium conterere. Neque vero, agrum colendo, aut venando, servilibus officiis intentum, aetatem agere: sed, a quo incoepio studioque me ambitio mala detinuerat, eodem regressus, statui res gestas populi Romani strictim, uti quaeque memoria digna videbantur, perscribere, eo magis, quod mihi a spe, metu, partibus reipublicæ, animus liber erat. Igitur de Catilinae conjuratione, quam verissime potero, paucis absolvam. Nam id facinus imprimis ego memorabile existumo, sceleris atque periculi novitate. De cujus hominis moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.